

L V T Z E N B V R G V M.

orum, sita ad lœvam Mosellæ ripam. A Carolo Magno institutam volunt, ut tertia imperii sedes esset per Germaniam Inferiorem.

*Bafonacum*, aliter vocant *Parys en Ardenne*, quasi dicas Arduennensis Lutetia. Metalla ferri sunt haud procul à *Manderscheid*, in dominiis Keyla, Cronenberch, & Sleida, ad vallem, cui nomen est *Hellenthal*. Conflantur hoc loco ab istis Cycloibus incedes, fornaces ferreæ, pyreteria, quæ per totam Germaniam & Belgium ingenti lucro distrahuntur.

*Novocastrum* etsi modicum, pulcrum satis est oppidulum. *Momedium* in monte situm, cuius radices alluit flumen Chirsus. *Danvillerium* oppidum 12 Lutzenburgo abscedit milliaribus, bellis captum, direptum ac solo æquatum, posteaque restauratum. *Mervilium* ad eundem Chirsum est, quod pro altera sui parte Hispaniarum regem, pro altera Lotharingiæ Ducem Dynastas agnoscit.

*Fanum S. Viti* oppidulum est per amœnum, uti & Sleida, muris carens, titulo Comitatus & insigni in aliquot pagos jurisdictione superbiens. *Martia*, vulgo *Mars en Famine*, nomen habet à Marte, oppidum mire antiquum.

Nobiles in tota hac provincia permulti, quorum numerum vix imminuerunt bella ista gravissima. Eorum ordinem ornant aliquot Imperatores ex iis profecti. Maximilianus Cæsar,

cum Carolo Burgundo succederet, factus est eadem opera hæres Lutzenburgii. Carolus quoque in ipso baptismi lavacro donatus est à patre Philippo titulo Principis Lutzenburgici. Sed de nobilium nimio rigore conqueruntur coloni: habentur enim pro servis: quod aliquin in nulla Belgii parte obtinet. Cetera sunt humani, laudis avidi, fidi, & virtutis amantes, laborum imprimis & inediae patientes. Henrico Imperatore ejus nominis septimo in Hetruria defuncto, anno 1313, devolutum est jus hujus ditionis ad Wenceslauum Bohemiae regem, Caroli IV Imperatoris fratrem. Post ejus obitum cessit jus Caroli IV liberis, Wenceslao & Sigismundo, qui in imperio ordine patrem sequuti sunt. Wenceslaus cognatam suam Elisabetham elocaturus Antonio Brabantiae Duci, has ei terras sporisales dedit. Antonius in Morinis adversus Gallos cæsus viduam uxorem reliquit, quæ Sigismundo Imperatore contra cives nova molientes evocato ad defensionem agri dotalis, à Burgundo restituta, vel potius adserita est. Post Elizabethæ excessum, vindicavit sibi has terras Philippus Burgundus, Dux Brabantiae. Carolus vero Audax transgit cum Isabella Casimiri Poloniae regis conjugie, unica Sigismundi Imperatoris hærede, redemitque pecunia littorem. Ita ad Burgundos & Austriacos regio ista devoluta est.

